



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Gallicanus M. Hospitalitas erga peregrinos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. GALLICANUS M.

Hospitalitas erga peregrinos.

Deus, qui admirabilem S. GALLICANI ergo peregrinos atque infirmos caritatem, martyrii laurea coronasti; da ut tantum exemplum pro nostro modulo imitantes, ipso intercedente etiam percipiãmus mercedem.

Ora pro curatoribus Hospitalium,



Patricia Romæ familia, & pluribus Consulatus illustri, natus GALLICANVS, post nonnullam de Persis victoriam, Dux postulatus est contra Scythas, Thraciam ingressos. Id munus cum libens suscepisset, navatæ navandæq; operæ pretium petiit à Constantino, filiam ejus Constantiam; & hæc fidelissimos suos, Joannem & Paulum, comites ei adjunxit. Hi posito in angustiis suaserunt, Christum invocare pro victoria; qui hac obtenta, jam Christianus, & Consul anni 330 designatus, revertit triumphabundus. Tunc occurrenti sibi Constantiæ, cum Attica & Artemia filiabus, per illam conversis, annuit ut ex voto pro se facto virginitatem perpetuam colerent: & ipse, Consulatu dimisso, Ostiam se recepit; totum se traditurus hospitalitati & infirmorum servitio. In hoc pio instituto, cum omnium admiratione, vir talis se exercuit, usq; ad imperium Juliani. Qui cum juberet deos colere, in Ægyptum recessit, & eremum petiit: à quâ abstractus, & Martyr effectus an. 362; mox ut extinctus tyrannus est, conditâ Alexandriæ ecclesiâ sui nominis, exceptus est. *Hospes eram, & collegistis me. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Matt. 25.*